



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

§. IV. De effectibus excommunicationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

uer facultatem alii relaxant: quia hæc werba textus, vel referenda sunt ad excommunicationem minorem, de qua ibi loquitur, & quam Parochus, qui est proprius Sacerdos potest absolvere, vel, nè destruantur regulæ juris, & eveniant absurdæ, intelligenda sunt de facultate concessa Episcopo, & ceteris Prelatis habentibus jurisdictionem in foro externo, non autem simplicibus Confessariis:

- 18 Etio enim illa *alii*, secundum subjectam materiam est relativa similiū, & reputat personam ejusdem qualitatis, & potestati, Barb. *di. 26. n. 1.* & duob. seqq. Gonzal. *ad reg. 3. glof. 3. n. 22.* & seqq. vel demum, quod simplices Sacerdotes Confessarii possint, absolvere, si eis ab Episcopo committatur, & facultas detur, ut ex Ugo-
lin. *de censur. cap. 1. cap. 10. §. 5.* tradit Sayr. *loco cit. n. 13.* & comprobatur Jo. Herolt. vulgo Discipulus *Serm. de tempore serm. 69. litera I.* ubi sic ait à majori excommunicatione nemo potest absolvere, nisi Papa, vel Episcopus, vel aliquis de auctoritate ipsorum, & ratio est, quia ut jam dictum fuit, in absolvendo ab excommunicatione majore, requiritur jurisdictione in exteriori foro, non autem in absolutione à peccato. Hæc inquam secunda sententia, licet mihi secundior videatur, & sequenda: attamen Episcopus cautius ager, si in approbatione confessariorum, auferat eis, & Parochis facultatem absolvendi à dictis censuris, excepta minore excommunicatione, ut habetur in actis Eccles. Mediolan. *tom. 1. par. 4. instruct. ultim. pag. 706.*

- 19 Absolutio autem data, & obtenta ab habente privilegium absolvendi à censuris in foro conscientiae, nihil prodest in foro judiciali, neque impedimentum prestat, quin Judex possit contra reum agere, & eum excommunicatum denunciare, vel prout juris erit punire, Sayr. *de censur. lib. 2. cap. 20. num. 31.* Donat. *prax. rer. regular. part. 1. tract. 4. do violat. clausur. monast. quest. 34. num. 1. 3. & 6.* Passerin. *de electi. cap. 26. quest. 9. nu. 95.* & seqq. Nicol. *lucubr. can. lib. 5. tit. 39. n. 43.* quamquam Judex Ecclesiasticus absolutionem in foro conscientiae datam, etiam pro soro exteriori ratam habere possit, satisfacta parte, ut ajunt Passerin.

& Nicol. *in loco mon. cit. vel penam minore Graff. decis. aur. par. 1. lib. 4. cap. 15. nu. 19.* Donat. *prax. tom. 1. par. 2. tract. 4. n. 6.*

De effectibus excommunicationis §. IV.

Primus effectus excommunicationis majoris est privatio usus activi Sacramentorum, ita ut nullus excommunicatus licet possit administrare, vel conferre per se loquendo, ullum Sacramentum, ut colligitur ex *c. ult. de cleric. excom.* Ratio est, quia Ecclesia jure potest prohibere indignis, & excommunicatis administrationem Sacramentorum, quæ ei à Christo Domino commissa est, cum sit ministerium publicum. Excipitur tamen, quod minister excommunicatus toleratus licet conferre possit Sacra-
menta, quoties vel gravis necessitas, vel notabilis proximi utilitas id exigit. Quare minister excommunicatus, etiam non toleratus non tantum in articulo mortis, Sacra-
menta Baptismi, & Pœnitentiæ si alius non adsit, licet potest administra-
re, sed etiam in eadem extrema necessi-
tate aliquando sanctam Eucharistiam,
vel extremam unctionem licet conferre, ut si moribundus aliud Sacramentum suscipere nequeat, ut Suar. *disp. 11. de cens. sect. 1. numer. 17.* Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 2. n. 5.* tenet Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. n. 13.*

Hinc notandum, quod Sacra-
menta administrata ab excommunicato, sive
tolerato, sive non tolerato, etiam extra
casum necessitatis, vel mortis pericu-
lum, sunt valida, quia ad illorum sub-
stantiam, & valorem plus non requiri-
tur, quam propria materia, forma, &
inten-
sio ministri secundum Christi insti-
tutionem, quæ Ecclesia mutare non po-
test, & si adsint, ut hic supponitur, sem-
per iunt valida. Excipitur Sacramentum Pœnitentiæ, quod administratum extra
mortis articulum, ab excommunicato
non tolerato, invalidum est, quia ad
hoc Sacramentum valide administra-
dum, non sufficit potestas ordinis, sed
requiritur etiam jurisdictione, quæ ab Ec-
clesia admittitur per censuram excommu-
nicato non tolerato: nisi publicus error
facti

facti cum titulo præsumpto interveniat, dum excommunicatus habetur pro legitimo Sacerdote. Unde à DD. regula traditur, quod quotiescumque excommunicatus non toleratus, seu vitandus exercet actum pendentem à potestate jurisdictionis, invalidè agat: puta si Episcopus excommunicatus, approbet confessarios, det literas dimissorias, vel si Episcopus, aut Parochus alicui deleget facultatem confessionem audiendi, vel quodvis Sacramentum administrandi; quia hæc possunt fieri ab Episcopo confirmato nondum consecrato: imò etiam ab Episcopo, vel Parrocho nondum Sacerdote: ideoque non sunt actus ordinis, sed jurisdictionis. Quod si verò actus exercitus non requirat potestatem jurisdictionis, sed solam potestatem ordinis, quæ non auferunt per censuram Ecclesiasticam, validus sit, ut talis excommunicatus administret Sacra menta, vel exerceat Sacramentalia, ut sunt variæ benedictiones, & consecrationes ab Ecclesia introductæ, quamquam illicite.

23 Secundus effectus excommunicationis est privatio usus passivi, sive susceptionis Sacramentorum, quæ in eo consistit, ut nullus excommunicatus possit licet, & absque gravi peccato, ullum Sacramentum percipere, c. cum illorum 32. de sent. excom. quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Excusat tamen à peccato excommunicatus susepiens Sacra menta ex inadvertentia, seu ignorantia invincibili juris, aut facti, nesciens se esse excommunicatum, vel ob gravem necessitatem, putà ad vitandum periculum mortis, infamiae, & scandali, quia lex humana, & censura Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore. Quod si excommunicatus mala fide, & illicite Sacra menta suscipiat, validè tamen ea suscipit, quia Sacramentorum vis, & valor per Ecclesiasticam legem impediri non potest, cùm pendeat ex Christi institutione. Excipitur tamen Sacramentum pœnitentiæ; nam si quis mala fide sciens se esse excommunicatum, & sine ulla necessitate, priùs Sacramentaliter se absolvi petat, quā ab excommunicatione, invalida erit absolutio, ob defectum dispositionis in pœnitente,

secus est si excommunicatus, bona fide, in casu necessitatis, vel probabilis ignorantie, quia inculpabiliter ignorat se esse excommunicatum, vel saltem esse peccatum mortale suscipere Sacramentum in excommunicatione, peccatorum confessionem instituat, tunc enim vere & validè absolvetur à peccatis; licet adhuc maneat in excommunicatione, vel quia confessarius habens potestatem absolvendi à tali excommunicatione, per ignorantiam, vel oblivionem priùs à peccatis absolvit, quām à censura Sayr. de censur. lib. 2. c. 2. num. 2. & 3. Pirhing. loc. cit. num. 15.

Tertius effectus excommunicationis est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum, ita ut excommunicatus, omni sacrificiorum, precum, Indulgentiarum fructu, qui ex communi Ecclesiæ Thesauro fidelibus applicatur, privetur c. nobis 28. c. sacro 48. de sent. excom. ut proinde quantum est ex parte Ecclesiæ excommunicatus potestati Dæmonis tradatur, ut patet ex 1. Cor. 5. & 1. Tim. 1. ubi Apostolus ait, *Hymeneum, & Alexandrum Satanae tradidisse*, quantum ad hoc, quod Diabolo major potestas sæviendi in ipsum datur, & spiritualiter, & corporaliter. Unde in primitiva Ecclesia excommunicat, statim à Dænone vexati solebant, ut testantur D. Thom. in sum. supplem. quest. 21. art. 2. ad 3. Stenogel. Mund. theo rit. par. 2. cap. 59. §. 14. circa fin. ubi exemplum de excommunicato à Divo Ambrolio refert. Imò excommunicatur licet emendatus sit, priusquam tamen absolvatur, verè censura ligatus manet, neque licitum est pro eo suffragia offerre. Ratio est, quia censura excommunicationis non est culpa, sed poena, qua ablata etiam culpa permanet, donec per legitimam auctoritatem Judicis remittatur d. c. a nobis, & d. c. sacro de sent. excom.

Quartus effectus, est quod excommunicato denunciato prohibitum sit divinis officiis interesse c. significavit 18. c. nuper 29. c. responsio 43. de sent. excom. & c. ultimo eod. tit. in 6. Nomine autem Divinorum officiorum intelliguntur sacræ functiones, quæ ab Ecclesia, publicè, & solemniter sunt, prout sunt Sacrificium

cium Missæ, cui excommunicatus interesse prohibetur, & coram illo celebrari non potest: adeo ut celebrans incurrit suspensionem, ut ait *gloss. in c. is quis* 18. *not. 5. de sent. excomm. in 6.* & si censura ligatus, & denunciatus, monitus de Ecclesia exire non obediatur, excommunicationem Papæ reservatam incurrit *clem. gravis in fin. de sent. excomm.* publicæ preces horarum Canonitarum, & omnis publica oratio, quæ ex Christi, vel Ecclesiæ institutione solemniter fit à ministris ad id ordinatis. Quamvis privatim orare, vel concionem audire in Ecclesia, dum in ea nullum officium celebratur, excommunicatus non sit prohibitum, ut colligitur ex *d.c. responso*: vel horas canonicas recitare, ab his enim privatim recitandis, per censuram non liberantur, sed dicere non debent *Dominius vobiscum*.

²⁹ Quintus effectus excommunicationis est, quod excommunicatus privetur omni usu, & exercitio jurisdictionis spiritualis, seu Ecclesiastice, ut patet ex *c. auditivimus* 24. *quæst. 1.* ubi dicitur, quod excommunicatus excommunicare non potest: *cap. si is cui* 10. *de offic. deleg.* in 6. ubi habetur, quod si delegatus Papæ, qui alicui causam subdelegavit, postea excommunicatus fuit, non ad ipsum jurisdictione privatum appellandum esse, sed ad primum delegantem, & in *cap. 1. de offic. Vicar.* in 6. dicitur, quod substitutus ab officiali Episcopi, eo excommuni-

³⁰ nato manente, ea quæ gerit jurisdictionis non possunt obtinere vigorem; quare non potest conferre, non recipere beneficia, nec ad illa præsentare, seu præsentari vel eligi, per *text. in c. postulasti de cleric. excomm. Gonzal. ad regul. 8. cancellar. glos. 58. num. 25.* Vivian. *de jurepatr. lib. 5. cap. 3. num. 4.* & *lib. 6. cap. 4. num. 51.* Excommunicatus majori excommunicatione, neque potest juramenta recipere, si sit denunciatus, cum sit altus jurisdictionis, Rot. coram Cerro *decif. 191. num. 3. & 9.* Id verò intelligi debet de excommunicatis non toleratis, seu vitandis: nam licet excommunicatus occultus Beneficium obtinere non valeat, &

³¹ initia sit collatio Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. quæst. 7. num. 4.* quamquam denun-

ciatus jam obtento non privatur Leon-
cil. *de privileg. paup. part. 2. privil. 138. num. 1.* Card. de Luc. *de benefic. disc. 74. num. 2.* acta tamen excommunicati tolerati sunt valida, quandiu per oppositam exceptio-
nem excommunicationis non repellantur: ideoque talis excommunicatus po-
test excommunicare, jurisdictionem de-
legare, beneficium conferre, eligere, &
præsentare, Paris. *de resign. lib. 1. quæst. 7. num. 17.* Pirhing. *loc. cit. num. 18.*

Sextus: effectus excommunicationis ³² majoris est privatio omnis communica-
tionis forensis, itaut excommunicatus non possit esse Judex, Tabellio, Advo-
catus, Procurator, Actor, aut Testis
etiam in causis civilibus, prout de Judi-
ce statuitur *in c. ad probandum* 24. *de sent.* ³³ *& re judic. de aliis in c. decernimus* 8. *de sent. excomm. in 6.* ubi notandum. Pri-
mo, quod exceptio excommunicationis
potest opponi non tantum in foro Eccle-
siastico, sed etiam in foro sacerdotali, per
quam repellatur laicus ab actibus judi-
cialibus ipsi prohibitis, & ad hoc cogi-
potest Judex secularis per censuram Ec-
clesiasticam: imò ipse Judex tenetur ex
officio repellere ab agendo, notoriè ex-
communicatum; etiam nemine oppo-
nente, *c. exceptionem* 12. *de except.* No-
tandum secundò, quod nullus excom-
municatus potest esse Judex, Tabellio,
Advocatus, seu Procurator, Actor,
aut Testis, etiam si sit toleratus, aut oc-
cultus: semper enim quantum in se est,
debet vitare communionem aliorum,
cum per Concilium Constantiense, rela-
tum à Navar. *in manual. Prælat. cap. 27.*
num. 34. excommunicato tolerato nullus
fiat favor. Si vero excommunicatus in ³⁵
judicio compareat, ut Actor (idemque
est de Advocato, & Teste) neque reus
contra illum excipiat, neque Judex il-
lum ex officio repellat, quod facere intol-
erato potest, si excommunicatio publi-
cè nota sit: & in non tolerato, seu vi-
tando debet, *cap. 1. de except. in 6.* vali-
da erunt omnia acta talis excommuni-
cati quantumvis vitandi, ut colligitur
ex *d. cap. 1. de except.* in 6. prout est in Pa-
rocho excommunicato, qui validè assi-
stit matrimonio Sanch. *de matrim. lib. 3. dispe.* ³⁶ ³⁷

disp. 21. num. 4. Barb. in sum. dec. Apost. collect. 465. num. 8. Acta verò Iudicis excommunicati non tolerati , non solum Ecclesiastici , sed etiam sacerdotalis , sunt invalida , cùm jurisdictione privatus sit , quamvis ab officio non sit remotus : ut de Ecclesiastico aperte traditur in d. c. ad probandum 24. de sent. & re jud. & in cap. ult. de excess. prælat. Sayr. de censur. lib. 2. c. 6. nu. 1. & de sacerdotali probant iura à Sayr. ibidem num. 15. allegata , & est sententia communis , Pirhing. loco supra citato n. 20. ubi quod acta publica Tabellionis excommunicati vitandi , in foro externo ipso jure irrita sint. Et ex his infertur , quod excommunicatus vitandus non possit condonatus valide testari possit , ex eo quia in

38 re testamentum (quidquid sit de occulto , & tolerato) Mart. de succeſſ. legal. par. 3. quæſt. 14. art. 5. num. 5. cum testam̄ factio sit publici juris l. 3. ff. de teſt. & licet Sayr. de censur. lib. 2. cap. 9. num. 2. & seqq. teneant , quod excommunicatus denunciatus valide testari possit , ex eo quia in

39 jure testari non sit prohibitus , & eum sequatur Bonacini de excom. disp. 1. quæſt. 3. punc. 5. num. 9. adhuc prima opinio apud me firmior remanet , vel saltem secunda

40 non est tuta , ut fatetur quoque Corrad. in prax. disp. lib. 10. cap. 4. num. 12. quia excommunicatus æquiparatur bannito , Medic. tom. 2. in tract. mors omnia solvo. par. 1. n. 35. qui facultatem testandi non habet , ut tradit Cherubini. in summ. Bullari. ad confit. 8. Pii II. schol. 2. ubi alios allegat. Sustineretur tamen conditum favore piae causa , Amostaz. de cauſ. pili. tom. 1. lib. 1. c. 5. n. 51. & 52.

Septimus effectus est privatio omnis communionis civilis , ac politicæ cum aliis fidelibus , cap. 2. de except. cap. nuper. 20. c. si aliquando 41. & cap. penult. de sent. excom. Nomine civilis communicacionis , comprehenditur quævis humana societas , eaque tam activa , quam passiva , sive reciproca , quæ prohibita est cum excommunicato vitando , contentæ hoc versu .

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os* , prohibetur omne genus salutationis , sive coram per oscula , nutus , colloquia , amplexus : sive per litteras ,

aut nuntium , quod fundatur in illis verbis 2. Jo. 1. neque Ave ei dixeritis : ita ut nec licitum sit honoris causa excommunicato assurgere , vel caput detegere . Per *Orare* , intelligitur omnis communicatio in orationibus , & publicis officiis Ecclesiæ , in quibus non licet participare cum excommunicato , orando cum illo , aut audiendo lucrum , *Vale* , ne salutentur , imò nec resalutatio ei reddatur , quia est prohibita . *Communio* , prohibet omnem societatem , videlicet contraherere , vel aliud negotium gerere , ita ut neque cum illo ambulare , laborare , aut quodvis opus facere licet . Per *Mensam* , prohibetur convictus , & cohabitatione in eadem mensa , lecto , cubiculo , quæ quidem non de communicatione mere materiali accipienda sunt , sed in æstimatione morali : nam si casu , & præter intentionem in eandem Domum , cubiculum , vel mensam inciderent , non esset communicatio prohibita .

Causæ autem , quæ excusant , ut licita sit communicatio cum excommunicato 41 vitando , comprehenduntur hoc versu , quem refert glos. in c. cum. desideres 15. vers. excommunicationis de sent. excomm.

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Per *Utile* accipitur utilitas propria conservantis , vel etiam ipsius excommunicati , sive spirituali , sive temporalis , dummodo sit notabilis : Et hinc est , quod quis potest prædicare coram excommunicato , & audire concionem cum illo , quia concio ordinatur ad salutem animæ , & ut excommunicatus resipiscat , petere consilium vel subſidium , sive spirituale , sive etiam corporale , si quis eo indigeat , & vicissim etiam excommunicatus potest simile subſidium petere : item exigere , & recipere debitum ex contractu antea inito etiam societatis c. responso 43. cap. cum in voluntate 54. c. si vero 34. ibique Canonistæ de sent. excom. *Lex* , scilicet matrimonialis , ut omnes DD. intelligunt , nam Uxor potest licite communicare cum Marito excommunicato etiam non tolerato , reddendo ei debitum , & petendo , quin etiam in omnibus aliis , quæ

quæ ad matrimonium spectant, ut in gubernatione domus, in mensa, & familiari colloquio, ut habetur ex *can. quoniam multos* 103. 11. *quaest. 3.* & vice versa vir potest participare cum Uxore excommunicata Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 14. n. 16.* *Humile*, id est humilitas subjectionis, nam qui alicui subjecti sunt, possunt eidem excommunicato denunciari, & vitando communicare, quia debent illi obedientiam, quæ per censuram auferri non debet d. c. *quoniam multos*, c. si vere 34. *de sent. excom.* dummodo communicatio non fiat in crimine, eo quod parens, Dominus, Prælatus, vel Episcopus excommunicatus fuit c. *inter alia 31. de sent. excom.* Et hinc est, quod filii communicare possunt Parentibus excommunicatis non toleratis, sive sint in potestate Patris, sive emancipati, si à Patre necessaria recipiunt: sive sint naturales habitantes cum Patre: sive filii adoptivi, modo sub cura parentum sint: item famuli, & Ancillæ, ac Villici, qui ante excommunicationem cum Domino contraxerunt, communicare possunt cum Dominis excommunicatis d. c. *quoniam*: item Clerici sacerdtares cum Episcopis suis excommunicatis non toleratis communicare possunt, si sint de familia Episcopi, & deputati ad ejus servitium: tunc enim possunt communicare cum illis in rebus familiaribus, & domesticis, non autem in Episcopatibus, alii vero Clerici, qui non sunt de familia Episcopi eti illi aliquin sint subjecti, non possunt communicare cum illo, nisi in necessariis, & quæ sunt permissa jure communi: item Regulares cum Prælato excommunicato vitando cohabitare possunt, non vero cum eo communicare in divinis, nec ut Prælatus est, cum enim is per excommunicationem sit privatus omni jurisdictione spirituali, officium suum erga subditos exercere non potest, & sic solum possunt communicare in iis, quæ moraliter juxta communem usum inter cohabitantes vitari non possunt. Sayr. *de censur. lib. 2. cap. 14. nu. 17.* Pyrhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. num. 122. Res ignorata*, id est si quis ignorat, aliquem esse excommunicatum, & dicitur ignorantia facti,

vel ignorat excommunicatum esse vitandum; & dicitur ignorantia juris: dummodo ignorantia non sit crassa, & affectata. Excusat autem hæc ignorantia non solum quomodo communicatur in humanis seu politicis, sed etiam divinis. *Necessæ*, necessitas seu vera indigentia, sive ad animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad bona temporalia pertineat, sive ipsius excommunicati, sive ipsius communicantis excusat, licitum tunc enim est ob illam communicare cum excommunicato etiam non tolerato d. c. *quoniam multos*. 103. 11. *quaest. 3.* Unde viaatores licet possunt ab excommunicatis petere, & emere necessaria ad victum, & vestitum; pauperes petere eleemosynam: dubius confilium spirituale, aut tempora le; ægri medicinam, si alii desint à quibus peti possent: idem licet possunt præstare fideles ipsis excommunicatis vitandi, si pari necessitate premantur Pirhing. *loci citato num. 126.* Si Episcopus esset excommunicatus, vel suspensus declaratus, aut notorius Clerici percusor, possent ejus subditi se ordinari facere a viciniori Episcopo: incumbet tamen ipsis onus probandi, proprium Ordinarium esse excommunicatum, vel suspensum, Pia sec. *in prax. par. 1. cap. 1. art. 2. de subdit. ordin. n. 19.* Sayr. *de censur. lib. 7. c. 10. n. 17.*

Octavus effectus excommunicationis 42 est, quod per eam privetur excommunicatus Ecclesiastica sepultura, itaut neque in loco sacro, aut benedicto, & destinato ad sepulturam fidelium, licet possit sepeliri, neque à Clerico ad sepulturam deduci, quia quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare possumus, cap. *Sacris 12. de sepult.* id vero debet de solis excommunicatis vitandis intelligi juxta Extravag. *Ad evitanda Martini V. confirmata à Leone X. in Bulla concordatorum Galliae §. 24. impressa in Bulla tom. 1. post Bullam 20. ejusd. Pontificis.* Et de hoc infra in sua Sede dicetur. De his, & aliis effectibus majoris excommunicationis agunt Canonistæ in d. c. *postulatis de clericis excom.* & in c. *responsio de sent. excom.* Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 4. c. 14.* Navar. *in manual. Confessar. c. 27. à n. 17. ad 23. inclusivè* Sayr.

Sayr. de censur. lib. 2. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.
 43 Nonus effectus majoris excommunicationis est, quod Clericus, si justè, & validè sit excommunicatus, privatur frumentis sui Beneficii, etiam si de hoc in canonе, vel sententia Judicis, nihil dictum fuerit, & etiam si excommunicatio sit occulta, & non publicata, nec de illis ei subvenitur, nisi in extrema necessitate, & quando non habet aliunde, ne fame pereat, quia qui est extra Ecclesiam, nihil nomine Ecclesiae potest possidere, ut per tex. in c. pastoralis 53. ubi glof. de appellat. communiter docent Garz. de benef. par. 7. cap. 13. n. 90. & seqq. Monet. de distrib. par. 2. quest. 15. n. 22. Sayr. de censur. lib. 2. cap. 5. n. 24. & seqq. Ricc. decis. 85. n. 2. part. 1. Leoncil. de privileg. paup. par. 2. privileg. 138. n. 1. 2. & 3. Barbos. in d. c. pastoralis n. 7. & seqq. Donat. prax. rer. regular. tom. 2. tract. 5. de eligend. quest. 11. n. 1. Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 4. de cler. non resid. n. 23. ampliat. 31.

Et hoc ampliatur procedere in distributionibus, quas Clericus excommunicatus, nam acquirit, quamvis inserviat per Coadjutorem, ut ajunt Nicol. loco citato, & Leo thes. for. Eccles. part. 2. c. 6. nu. 66. & 67. ubi advertit, quod excommunicatio Coadjuti, Coadjutori nocere non valet Privatio enim fructuum, & Distributionum, est sequela excommunicationis, etiam quandō incurrit ipso jure, nec requiritur declaratoria ad tradita per Rot. coram Coccin. dec. 2206. n. 8. adeò ut sit Clericus excommunicatus frustus, & emolumenta Beneficii exigeret, peccaret mortaliter, & teneretur illos, seu illa restituere, ut firmant Donat. loco supra citato d. qu. 11. n. 5. & Sayr. d. c. 5. n. 24.

Secundò ampliatur ut regula, sive conclusio firmata procedat, etiam si excommunicatus, non sit in mora petenda absolutionis, quia privatio hujusmodi, non fundatur in mora, & duratione contumaciæ, sed est effectus ipsius excommunicationis, ob culpam latæ, ut bene notat Garc. d. c. 13. num. 93. licet Sayr. d. c. 5. numer. 29. velit, quod si justè excommunicatus resipiscit, & per eum non stat quo minus absolvatur, ex quadam Ec-

clesię presumpta voluntate, possit in conscientia fructus Beneficii retinere.

Si autem excommunicatio esset nulla, vel injusta, detecta nullitate, aut injustitia, tunc fructus, & alia emolumenta Beneficii non amitteret, ut limitando praedicta, tenent omnes supra allegati, & si illos, vel illa dimisisset, recuperaret postquam per Decretum Judicis excommunicatio esset declarata nulla, vel injusta, & quo ad distributiones, si pro absolutione instet tempore debito, & Choro interesse solitus fuisse, Lotter. de re Benef. lib. 3. quest. 27. nu. 140. & 141. Rot. coram Dunoz. jun. dec. 380. numer. 5. 6. & 7. Hæc autem inspectio nullitatis, & injustitiae, cadit solum in excommunicatione lata ab homine, nam excommunicatione canonis, sive à jure lata, semper est justa, Pirhing. in can. lib. 5. tit. 39. n. 12. vers. notandum secundò.

Effectus autem minoris excommunicationis est, privatio susceptionis Sacramentorum passiva, sive participatione, ut patet ex cap. 2. de except. & cap. ult. de cleric. excommunic. ac proinde si ita excommunicatio Sacraamenta suscipiat, sine justa necessitate, peccat mortaliter, quia materia hujus prohibitionis est gravis: imò Sacramentum pœnitentiae nec validè sufficit, ob defectum contritionis, licet ob id vel celebrando, nullam irregularitatem incurrat, d. c. ult. de cleric. excom. Pirhing. ubi supra num. 23. Si vero ad beneficium Ecclesiasticum eligatur, ejus electio, non quidem ipso facto irrita, sed irritanda est, saltem si scienter electus, sive se eligi passus est d. c. ult. de cleric. excom. Amostaz. de caus. piis tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 16. Ricc. in prax. var. resol. par. 4. resol. 43. num. 1. Graff. decis. par. 1. lib. 4. cap. 10. n. 3.

De potestate Excommunicandi §. V.

Porrò excommunicandi potestas Divinitus data est, ut habetur ex Evangelio Matth. 18. — Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, dic Ecclesie: si autem Ecclesiam non audierit, & sit tibi sicut Ethnicus, & Pu-